CAPITOLIUM

Immortalibûs Trophæîs
AUGUSTISSIMÆ CÆLORUM REGINÆ
In terris

CELEBERRIMUM.

DOMUS LAURETANA

M A R I Æ

Annuo suæ festivitatis die
SUPER
Gentilitijs LIPSCIORUM Montibus

E M I N E N S,

Ad Conventum PP. Capucinorum
In magna Hospitis Illustrissimi Corona.
Per

M. MICHAELEM LIPIEWICZ
Philosophiæ Doctorem, in Classibus Novodvorscianis Rhetorices Professorem, Scholæ B. M. V. in Circulo Cracoviensi
S E N I O R E M.

Oratoria in forma

DEMONSTRATUM.

Annô quô
265. 105. 1. 16. 345 385. 132. 147. 305. 41.
M4rt2, Dit, 1, 2 C C2, p4t2ns, R2 X, LIbit, s Igni, tr4ph121 in.
Die 29. Aprilis.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

In Stemma
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS



Fertili ſtat meſſis in agro - - - *Fauſtus*
Seges Clypeata Virorum - - - *Ovidius l.2. Metam.*
Ager meſſes fert pinguis opimas *Virg. 2. Georg.*
Montibûs hîs jam nunc totus promittitur Orbis *Ovid. in Faſtis.*

ILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO

D. JOSEPHO

IN LIPE

LIPSKI,

CAPITANEO PARCHOVIENSI ENSIFERIDÆ POSNANIENSI

Domino Mecænati Amplissimo.

Capitolium Augustissimæ Cæli terræq; Reginæ *immortalibûs celeberrimum trophæis, hactenus inter Religiosas Francisci remanebat umbras, tempus venit: quô exigua meditatur suada, ut non tam ad Oratoria lumina, quàm ad* Eminentissimæ Domûs *splendorem publico inclarescat Soli, & super Tuis Gentilitijs collocetur Montibus* Illustris ac Magnifice Domine. *Magna namq; magnis conveniunt, summis excelsa debentur, sanctius in terris MARIÆ Capitolium tuos Cælo ipsi affines exambit Colles. Quidni appetat LIPSCIORUM Montes Lauretana Domus? Qui ex ipsis Sanctitatis surrexêre athomis, quos innatæ virtutis excitavit flabellum, meridiani Honorum sublimavêre Soles, Quos Campus Polonus, plùs dicam: Quos Orbis totus Olympo pares, Eminentiores Apenninô, ipsi Vaticano non absimiles veneratur. Novit benè quilibet, quàm sunt alti Gentilitij LIPSCIORUM Colles, Quibûs Stelliferum fulcitur Cælum, Sarmaticus stabilitur Orbis, totaq; Lechici Regni incumbit moles. Parùm Illis erat, in Bochemiæ attolli Regno, nisi Polonum traansferrentur in*

Campum, ut à Polo nomen Poloniæ ducens, in Illis altiùs surgeret, eminentiùs appareret. Metire LIPSCIANOS Montes? quàm excelsi sunt, scrutare? quàm pretiosi, considera? quàm frondiferi. Verùm quæ svada tàm altè eluctari poterit Mercurianis pennis? ut culmen Gentilitiorum Montium adeat, quis Oratorius capiet animus? quàm aureâ venâ Polonum ditant Orbem, quis ad calculum revocabit? quàm immortalibûs frondescunt Cedris, certè nullus. Humi reptat quævis gradatio ad excelsos Colles, ad aureas Illorum venas pretiosa vilescit svada, ad maritatas Cedros omnes Rhetorici evanescunt flores, Tam excelsi sunt LIPSCIANI Montes, ut Illos Typographicæ attingere nequeant columnæ: tam ardui Gentilitij Colles, ut in eos nec passum Oratoria gradatio movere possit. Per declivia ad summos montium apices itur, sed non Gentilitiorum; in Quibus etiam minima athomus, Olympus est. Corrigo calami errorem, non ex athomis tumuêre hi Montes; crevêre LIPSCIORUM Colles ex Ida & Delo, in quibus Jupiter & Apollo nati; abiêre illis in fundamentum Montibus Pelion & Ossa. Nempè: ut consurgat Mare, latefusa congregantur flumina, ut LIPSCIANI attollerentur Montes, Apenninus & Olympus, omnisq magnitudo Sarmaticæ deducta, & statim in ortu suo Maximi stetêre. Nec mirum: septem ostiis fluentem nemo unquam parvum spectavit Nilum, Gigantem inter cunabula vitæ quis comparavit Pigmæo? Solem in ipso exortu nemo admiratus exiguum. Ab Alto surgunt excelsi, & nonnisi ad Imperia Reges florum lilia crescunt. Hæc origo Gentilitiorum Montium, Qui ex ipsis Lechicis tumuêre Præeminentijs, id est quotquot sublimes possidet Sarmatia Curules, quotquot prima Senatorum extruxit Subselia, quotquot altos Honorum fasces, Clavas, Scipiones, Mitras, Cruces, Purpuras habet, hoc totum LIPSCIORUM submisit Rastro, ut in Gentilitios congregaret Montes. Et factum est ita: quis erat Sarmatici Gradivi conflictus? in quo LIPSCII Martem nam agerent, in SVETOSLAO, ADAUCTO,

IARO

IAROSLAO, *qui contra Sueticum Leonem invicti pugnarunt Heròës documetum apertum: quis de hoste legebatur triumphus? quem Gentilitia non collegerunt Rastra, in Filio* **ADAVCTI IOANNE** *ad Viennam patet, Qui sepulchrales umbras subivit, ut Ottomanicam ecclipsaret Lunam. Expedienda erant magna pro Patria officia, huic oneri bajulos humeros & Gentilitios Montes suppofuêre Atlantes* **LIPSCII** *in* **ANDREA** *Episcopo Cracoviensi (Cui totus Orbis in Panegyrim, tota Sarmatia in elogia cedit) à* **SIGISMVNDO III.** *ad Mathiam Imperatorem gloriosissimo Legato. Componenda erant Civium divisa pectora, univêre LIPSCII, dum Illorum dexteritate Magnus Ducatus Lithvaniæ in unum Reipublicæ coaluit corpus. Propulsandi erant extra ultimam Lechici Orbis Thulen infensi hostes, Camillos in castris egerunt* **LIPSCII**, *& propulsaverunt in Adamo ex* **IOANNE.** *Qui ad Pragam ita pro Patria decertabat, ut suam amittendo daret Patriæ vitam. Danda erant sana langventi Patriæ consilia, dedere* **LIPSCII** *in* **SAMVELE** Judice Terrestri Belzensi, *Qui aliquoties ex Palatinatibus, Belzensi, Kijoviæ, Russiæ, ad Generalia Regni Comitia Legatum egit, in Supremo Regni Tribunali Solonem & Lycurgum gessit. Conservandæ erant Libertatis leges, conservavêre* **LIPSCII** *in* **PROCOPIO** Castellano Rogoznensi, *Qui solus in Scythicam abijt servitutem, ne aurea Poloniæ catenaretur Libertas. Amplianda erat Religio, ampliavêre* **LIPSCII** *in* **ANDREA** Episcopo Cracoviensi, & **SAMVLE** Judice utroq; magno Fidei Defensore. *Ille in Stauko & Zvierno Volboriensi in Arce Smarzevicijs, Hic in Lipsko Ecclesiam à radice erexit Parochialem. Defendenda erat Regia Majestas, pugnabant* **LIPSCII** *in* **IOANNE** *& Caris suis Pignoribus* **ANDREA SAMVELE** *&* **ALEXANDRO.** *Verbô loquar singula ex* **LIPSCIIS** *habuit & habet Sarmaticus Campus. Steterunt in Senatu Catones, erant contra Tarquinios Bruti, perorabant Poloni Cicerones pro Domo Patriæ, Quorum secures*

non unus verebatur Catilina, Cethegi timuerunt. Steterunt pro fide Numæ, amore Patriæ ardentes Æneæ; fortes pro Rege & lege Camilli LIPSCII. *Multum debet Lechicus Polus Montibus* LIPSCIANIS, *quòd illis portetur Atlantibus, quòd indefessos Alcidas ad sufferendam molem boni communis habeat* LIPSCIOS *paratissimos; quòd fluctuanti toties inter Scyllas & Charybdes Reipublicæ Navi in beatam cessere insulam. Pridem Polonus sterilis redderetur Campus, fatales tantùm Cupressos non triumphales progeneraret palmas, si ex his Montibus decurrente cruoris stillicidiò ex hostium profusô cervicibus non irrigaretur abundè. Pridem Campus Polonus inutilis gleba foret, si illi Gentilitij pretium non adderent Montes. In* Lipscianis *namq; Collibus, quis non agnoscit virtute laborum progenerari aurum, quod Patria jam in Episcoporum Pastophoria, jam in Archipræsuleas Cruces, jam in Regia Sceptra jam in Ducales Clavas efformavit. Ex his* LIPSCIORVM *Montibus ditatur Patria, Templa locupletantur Divorum, augentur Cives, Populus opulentior manet. Ex his Montibus pretiosi prodeunt adamantes, Regibus ad Coronas, Principibus ad Mitras, ad Clavas Ducibus, ad Decus & ornamentum Infulis. In his Montibus meridiani honorum Soles, per operationem virtutis suæ produxere metalla, ut totus Polonus ditesceret Orbis. Quàm magnam passa sunt vertiginem hos Montes hostilia intuendo capita, legat Universus ex Gentilitijs Rastris tot hostiûm tumulis supereminentibus. Quantum Orbi Polono provident* LIPSCII, *Montes Gentilitij demonstrant, quantum pro Patriæ gloria laborant, conijciendum ex* Rastris. *Abiere hæc* Rastra *in Dodoneas Arbores, ex quibus facundi pro Domo Cyneæ, alati pro bono communi efformantur Mercurij, ex quibus aureos legit fructus Polonia: Quæ in honorum Insignia in Virgas abeunt Directrices. Collegere hæc* Rastra *auream in Lechico Campo messem, Rosas & Violas collegere, quibus adusq; Patriam coronant. Congregaverunt selecta felicissimorum successuum grana ad Manipulũ Jagiellonicum, sub* SIGISMVNDO III, CASIMIRO

IOANNE AVGVSTO II. *De fertili Polonorum Campo nocivum usq; ad radicem evellerunt lolium, id est extirpavère Hæreses, quæ Gentilitiô evulsæ Rastrô, Martiali igni cessère in materiam. Tanta est Gloria Eminentissimæ Domus Tuæ* Illustris Mecænas, *Quam nec Aquilinæ audent palpebræ, & Palladiana veretur intueri noctua. Tanta est* Illustrissimorum Aborigenum Tuorum *amplitudo, ut totum Sarmaticum impleat Orbem, & captum superet Oratorum. Tam excelsa Consanguinitatis Tuæ Arbor (Quæ facit Una Nemus,) in Quam Mercurianis evolare pennis impossibile. Ad altum Sanguinis Tui Mare nullus Columbus, ut Oratoribus demonstret semitas, quibus saltim primum gloriæ* Illustrissimæ Domûs Tuæ *possint attingere littus. Conscia imbecillitatis suæ suada, Avos, Atavos, Proavosq;, QuorumPater erat Æneas & Avunculus Hector, Typographicis non coarctat Columnis, Rubrum Sanguinis Mare, Quô tot Principum decorantur Purpuræ; Quod, tot inæstimabiles Uniones, quot Tuos Aborigenes vehit, scholasticô nô describit calamô, & intra exiguos foliorũ margines immensos virtute* LIPSCIOS *claudere non intendit. Iliadem* Eminentissimæ Domus Tuæ, *virtutum Emporium, Sarmatici Poli Phœbum, Vaticanæ Sedis insigne Ornamentum, unicum Regum Poloniæ Cæsarumq; Ocellum, & Delicium, tremula ad enarrandam tantam Majestatem dictio, silentio tamen venerabunda præterire nequit, nempe* Gratiosissimum Mecænatem Tui Eminentissimum S. R. E. Presbyterum Cardinalem IOANNEM in Lipe LIPSKI Episcopum Cracoviensem Ducem Severiæ. *Hic est Oceanus* LIPSCIANI *Maris, Hic est primæ magnitudinis resplendentium Domus Tuæ Syderum Firmamentum. Fatere Tu Ipse* Illustris Mecænas, *quo de Mari effluis, quo in Zodiaco locaris. Hic* Eminentissimus Patruus Tuus *Patriæ & Tibi alterum se exhibet Patrem. Hunc Fontem hauris, in Hujus benigno gratiarum Polo honoris & fortunæ Tuæ prosperos absolvis motus. Hic Tibi parat augu-*

 stos

stos Fasces, Hic ad altissimos Tibi viam sternit Honores. Quantum universo Orbi præstat auricomus Titan: diem meliori comâ accendit, primæ magnitudinis syderibus nativum communicat lumen, viridi prata gramine tegit; tantum Hic Sarmaticus Phæbus Tibi & Orbi Lechico præstat. Ille est, Qui serenum Patriæ melioris fortunæ accendit mane. Ille est, Qui copiosissimos gratiæ suæ in omnes diffundit radios. Ille est, Qui Polono in Campo Rosas, & Lilia crescere facit. Hic est Jupiter, Qui Gigantomachiam contra Lechicum Polum moventibus Enceladis trisulcus apparet Tonans. Hic est Polonus Apollo consilia seu potiùs veriora oracula pandens. Firmissimus Orbis Poloni Cardo Eminentissimus CARDINALIS, *in Quo salus Majestatis, dignitas Senatorum, spes & fortuna Polonorum Civium subsistit. Hic gratias spirat, quia Nomen Ejus* IOANNES. *Implevit meritis Lechicum Orbem, Senatorias Curules, Principum Mitras, Episcoporum Tiaras, & quascunq; tantùm Sarmaticus Orbis Dignitates habet, Hic* ALEXANDER *sibi in triumphum duxit, & Polonus* Eminentissimo Nomini Ejus *applaudit Orbis. Sarmaticum* ALEXANDRVM *Lechica capere non potuit Macedonia, nec unum Illi Poloniæ suffecerat Regnum. Meliùs tantos* ALEXANDRI *labores non potuit coronare Patria, quodnam Hic Triumphator intra suos limites Capitoliũ haberet, ignorabat: sed bene consuluit sibi, spectando sudoriferos* IOANNIS *æstus, quibus continuò circa bonum Patriæ incalescebat, Quirinos petijt Colles, ut Cardinalitius Eos mitigaret Galerus. Ultro ergo in Poloni Mercurij Caput Cardinalitia contendit Cydaris, & ad Purpuratam* Eminentissimorum *Rotam invitatus est* LIPSCIVS IOANNES. *Prospice nunc Lechia, mitigavitne hic Galerus* ALEXANDRI *æstus? ne circa Tui ampliùs incalesceret curam, minimè. Lege ex Fronte, quàm gemmeo conspersa sudore, ut debilitata viribus per Ejus sudoriferas guttas ad pristinum sanitatis redeas statum. Hoc pretioso Rore Tuos irrigat Campos, Gentilitiis* Rastris *Tibi auream colligendo sementem. Sudat adusq;*

circa

circa Patriæ bonum laborando, discordes Civium pacando lites, consiliis providendo, pacem mille potiorem triumphis inferendo, Gordios acumine ingenij præscindendo nodos uti ALEXANDER. *Incutit Reverentiam Majestas, Purpura pudorem, ne umbratilis svada Sarmaticum Phæbum speculari audeat, quæ ad Fimbriam Cardinalitiæ Dibaphæ cadens, Tibi* Illustris Mecænas *hanc felicitatem gratulatur, quòd Tantum Tui* Eminentissimum Patruum *sortiaris; Cui tota Polonæ Reipublicæ incumbit moles. Gemmea Lechici Orbis Decora, Dilectissimi Tui Parentes* ANDREAS Ensifer Posnaniensis, & CATHARINA *Cælesti Coronæ inserta, dum Tu adhuc reptabas per scuta Infans, adhuc Tibi puerilia crepundia lusus erant, quando Illi ivere ad* Astra. *Dij boni! quantum Illis cordolium erat è vivis excedendo, dum Te Infantilem spectabant, gemebunda proclamabant voce: quis Sarmaticum Lilium* IOSEPHVM *gratioso humectabit rore? ne arescat, ut in Coronamentum Patriæ, in Decus & Præsidium* Nostræ *florescat Domus. Quis hanc expoliet gemmam? ut publico exposita Soli, Regum Coronis, Principum Mitris, Cancellarijsq; inseratur annulis. Quis Hanc Teneram Plantam in Lechico radicabit Vireto? ut in fulcrum labentis excrescat Patriæ. Ignorabant in terris, Cælos ascendere debuerant, ut meliùs ex alto prospicere possent, quis porriget dexteram* IOSEPHO, *ut in alto honorum sistat gradu: & invenêre Tibi* Gratiosissimum IOANNEM, *Qui Te aureo irrigans imbre, ad Castalios Regio-Jagellonis Aulæ remisit Fontes, & Polonum Te Achillem à docto voluit erudiri Hirone. Illius curæ est quòd species Tua digna Imperiô, quòd magnanimus ad quævis ardua rerum molimina animus. Crystallino virtutum resplendes nitore, pietate erga Superos, affabilitate erga singulos, modestiâ excellis Veteranos, diligentiâ Theopompos. Immergis Tuam pupillam Scholastico Phæbo genuinus Aquilæ Sarmaticæ Pullus ad meridianos Honorum succrescens Soles. Gentilitijs* Rastrîs *ex Literario quidquid colligis campo, id totum in uberrimam Patriæ Annonam & Tibi in Coronam cedit. Hoc totum quidquid*

 in Te

in Te est, cum lacte suxisti, ut Gloriosissimis Patrui Tui Eminentissimi *insisteres vestigiis. Legisti ex fronte Ejus Majestatem, & illam didicisti, vidisti gratias de oculis Ejus prominentes, & in Gratianum ivisti, de Purpureo Ejus ore Rosas & Lilia legisti, & non ignoras verba purpurea loqui. Dicam clarius: totum quidquid in Te est* Eminentissimi Patrui *est, Cujus Tu Ipse totus. Noscitur ex ungve Leo, ex linea Apelles, quàm meridiano jubare auricomus Phœbus diem universo accendit Orbi, Aurora demonstrat. Praebes* Tu Illustris Mecænas *documentum Dexteritatis Tuæ in Juvenili Ætate, nosceris à Teneris invictus Achilles Clypeis & Norico ensi aptando manus. Specularis magna cum Pompejo prælia, Quiritum cum Samnitibus pugnas, acres Polyphemi cum Tonante congressus, & meditaris, quâ Methodò Alexander fregit Porum, quo Mucrone Gerionem Alcides vicit, quomodò Jugurtham Marius delevit, quot Theagenes Laurus, quot Dentatus Sicinius torques, quot anpulos Annibal ex triumpho collegit, revisa Miltiadum trophæa nostponis, pro trecentis Fabijs quos una abstulit dies Heros immortalis futurus. Ergo Tibi crescenti in Decus & præsidium Patriæ Heroi* Capitolium Augustissimæ Cælorum Reginæ *immortalibus celeberrimum trophæis exasse debetur, Quod super Gentilitiis Montibus eminere exambit. Novit bene Tuam* Illustrissimam Domum *Quirinalibûs* Eminentissimam *Fascibûs, in Qua Ipsæ Purpuræ & Senatorum leguntur Dibaphæ. Reddo itaq; quod Tuum est, nempe futuro Lechiæ Propugnatori hoc Capitolium, precando: ut Tibi Dij Platonicos in annos* Patruum Eminentissimum *conservent, pro Cujus longæva incolumitate Patria, Senatus, Cives, supplici voce ad Cælum clamant: utinam Nestorea sæcula* IOANNES *vivat, sub Cujus protectionis Alis in fulcrum Patriæ, in decus* Illustrissimæ Domus, *in solatium* Eminentissimi Patrui *Tui, in defensionem Almæ Matris Universitatis Cracoviensis vivas, crescas sospes & incolumis.* precatur.

ILLVSTRIS ac MAGNIFICÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus Servus
AUTHOR OPERIS.
M. M. L. P. D. R. P.

ORATIO.

STupenda priſcæ vetuſtatis opera fervidiori ad Solis diem Oratoris animus intendens meminiſſe Spiritu, dum Illa doloſo oblivionis advertit inſepulta cineri, allaborante Dextera Franciſci omnem lapidem movet, ut ad Seraphicam publico ſpectatori inclareſcant flammam AA. Præcelſa namq; rerum molimina, pro quibus operoſa longo ſæculorum tractu deſudabat vetuſtas, aurea Pigmaleonis impendebat æraria, inter Arabas & Indos nitidum inveſtigabat ebur, dum Cælum ſui ſpectatorem in publico Orbîs Amphitheatro habent, dum ſtupore captas terrigenarum mentes ſolenni cum pompa in triumphum ducunt, etiam Illa meminiſſe juvat. Repeto quæ dixi; juvat priſca meminiſſe opera, quæ tot ela-

sîs annorum miryadibûs, invidioso temporis corrosa dente, in posthuma remanendo memoria, gustum moderni exacuunt ævi, ut meritò exclamare debeat: utinam illa redirent sæcula! quibûs aurea Neronis palatia universum appretiabant Orbem, quibûs Memphis pyramidibûs, quibùs Troja superbô Iliô assurgebat. Utinam illa redirent sæcula! quibûs stelliferum Cosdroæ Cælum in appensa tribûs digitîs Altissimi mole, tam juxta quàm contra successionem signorum suos absolvebat motus, quibûs propitia boni ominis ad vota mortalium prominebant astra, certum fortunæ eventum illatura. Tempora mutantur & res mutantur cum illis, cum amæno vere Reges florum pereunt Lilia, purpureæ decidunt rosæ, & tantùm meminisse juvat, floruêre lilia rosæ. Cum tempore transit tota operum Mundi gloria, cum aurei ævi Parente Saturno in occasum vergente, Regia Solis sublimibûs alta columnîs, quæ clarô micabat obryzô, ferreæ temporis rubigini cessit. Excelsi montes Pelion & Ossa, quos olim conscenderat Enceladus pugnaturus cum Jove, nunc in minutiores resoluti athomos, pedibûs non nisi calcantur, qui olim suo cacumine Olympum excedebant ùt montem, ùt Cælum tangebant. Rhodius Solis Colossus, totius miraculum Orbis, in admirationem spectantium

oculos

oculos rapit, quòd tanta magnitudo ſit unica fruſta, an veriùs fruſtrà. Curioſam mentis pupillam vertamus in opus ſæculorum, centum ſuffultum columnîs Epheſinæ Diannæ Templum. Opus hoc æternitatis caſum & ruinam nullam ſui expaveſcens, quis non dixerit? dum tot Pario marmore excuſsîs á fronte, á tergo, á lateribus ſuſtentetur Coloſsîs, tot ærefuſis innitatur baſibus; tantum Fanum verè profanum, nec ampliùs dicam: dicam tamen profanatum, dum in cinerem & favillam unius effrontis Heroſtrati convertitur manu. Centum portarum Thebæ, ad quas non unus vigil Annibal ſtabat, ubi ſunt? latefusa Pergama Troiæ, pro quibus, Superna diu laborabant Numina, aut appenſi in áëre Semiramidis horti ubi ſunt? Delphos non quæro, cum tempore periêre cuncta. Periêre cum tempore cuncta, aliàs: præſcripsêre priſca ſæcula Herculeis Columnis non plus ultra, ſumptuosa tumulavêre Mauſolæa, delicata Heſperidum & Alcinoi annihilavêre viridaria. Periêre cum tempore cunctá, aliàs priſca tempora excelſis rerum moliminibus intra ſui ſpatium terminum ſuæ durationis dederunt, aliàs: ſummæ magnitudini minimum quod, ſui ſimul non eſſe poſuerunt. O tempora rebus inimica ſecundis! o priſca ſæcula invida poſteris! excelſas ædes humo æquaſtis, ne eminerent; im-

mortales evellistis Cedros, ne perennarent; maxima minuistis opera, ne Cælum versùs verticem attollerent; pretiosa absorpsistis decora, ut nihil superesset, quod æstimaret, videret, & veneraretur posteritas. Date Dij meliora lapsis, resuscitate de mortalibus bustis Dædalos, Praxiteles, & Zeuxes, qui æternitati correspondentia extruant, ædificent, & adumbrent opera. Date Dij meliora lapsis, accendite triumphales ex his favillis, in quas tot Trojæ, tot abiere Pergama, moderno tempori rogos ut ad hos splendidiùs universo inclarescat Orbi. Minimè ad vota flectuntur Superi, terminum quem in suis sancitis rebus decreverunt humanis, ampliùs resolvere non intendunt. Præteriit quod erat magnificum, corruit quod erat excelsum, evanuit quod erat splendidum, perijt quod gloriosum erat, nunc spectandum ipsum tantùm in rebus inane. Intra proprios Penates nihil augustum spectando Oratoris animus, alienum sub Solem Mercurianîs talarîs fertur, ad illius meridianum jubar mejestuosas visurus ædes. Hæc dum intendit svada, Franciscus extendens Dexteram, impetus Oratorios & gradationem in suo detinet cursu, compositîs in Crucem Manibûs sub juramento fatetur Deos alienos quærere non licet. Adquid Garamanthas tendendum & Indos? cur alienas invisendum oras? etiam

nostris

noſtris non deſunt Penatibus Numina, etiam ſub meis Religioſis umbris ſplendida, imò parî cum Sole corruſcantia radiô comprehenduntur ædificia. Quamvis ex ſe inops Religio, aurea Agni Immaculati Colchide dives, nempè LAURETANA MARIÆ Domo, ad Quam per ſpatioſum Mundi pelagus fluctuantes Jaſones Scyllas & latrantes minimè expaveſcunt Charybdes, Gentilitia Cruce fauſtum illis benedicendo iter. Mare hìc diffunditur Gratiarum, quod Hypoſtaticum ad appretiandum Orbem producit Unionem. Verior Pantheon in terris hæc Domus eſt, intra Cujus Angulos DEUS & HOMO coarctatur, limitatur. Tenetur hæc Domus Cuſtode Motrice Cælorum Intelligentia, Quã ſpectare, idẽ ac ſtelliferum Cælum. Rem ut in Iliade claudam, hoc unum pro cunctis ſvada narrabit opus. In Lauretana MARIÆ Domo Supremo Cæleſtìs Exercitûs Duci Angelica voce triumphales decantantur plauſus, in Illa ſpolia quæ de infenſo generi humano hoſte Victor Erebi reportavit, hacce repoſuit in Domo. Ergo ſolvam nucleum de cortice, ex præmiſſis in forma Oratoria Domum Lauretanam MARIÆ Capitolium immortalibus trophæîs Auguſtiſſimæ Cælorum Reginæ in terris celeberrimum eſſe probabo. Auguſtiſſima ſyderei Olympi Regnatrix, permitte imbelli ſvadæ Maje-

ſtatem Tuam non tam ſcrutari quàm mirari, ad Tuum Capitolium Gradationi Oratoriæ appiam Manu Franciſci demonſtra viam, ne errabunda pro Laudibus Tuis in lapidem offenſionis incidat. Hi in Curribus, alij in equis ad Capitolium vehuntur, imbellis dictio licet non in rotundis procedat periodis, eò tamen glorioſiùs in Marianum ibit Capitolium, quò ei major Veſtrum AA. benevola attentio favebit.

CApput Orbis totius Romam, & ſi pridem venerando mirabantur, mirando venerabantur Regna, Provinciæ, adhuc tamen modernîs temporibûs tanto gloriæ ſtupore ductus, coram Hoc Capite genua flectere non ceſſat Univerſus. Præſtat namq; quà latè patet Orbis Quirinis Collibus reverentiam, & ad Victricem Gentium Romam triumphales ſinuatur in Arcus. Deſponſavit pridem annulô Piſcatoris in venerationem ſui ſublunare Hemiſphærium, Gentilitiîs Clavibûs Petri oſtia recluſit, liberum aditum ad deponendum homagium demonſtrando. Domina Urbium Roma ſingulas Provincias famulatrices ſui agnoſcit: Regna Illi ſuas cedunt Coronas, aurea reddunt Sceptra, Illam in ſuo Throno Reginam adorando. Romanis Aquilis Lechica famulatur Ales, ſeptem oſtiîs Nilus fluens & pretioſa volvens ejectamenta Pactolus, Quirinum Tyberim

pedi-

pediſequo comitatur greſſu. Flectunt Capita Urbes ad Illius Colles, cur ita? contermini ſunt Ipſi Cælo in Sanctiſſimis, eminent in Eminentiſſimis, attolluntur in Maximis, triumphalì Laurô coronantur in Fabijs, Navim Eccleſiæ ad Beatas deducunt Inſulas in Argonautis, ne Orbis ruat, bajulos humeros ſubdunt in Atlantibus. Noſcit ſphæra Mundi primum ſui Mobile Romam, ad cujus motum lege volvitur admiranda. Spatioſum hoc æquor Quirino regitur Tridente, ne ampliùs tumeſcat & iraſcatur, Illa inæſtimabiles in Navi Petri Cæleſtem ad Coronam vehit uniones, per Illam Reges regnant, & juſta decernunt, Illi ſingulæ Gentes in ſcabellum abeunt. Volupe ſit primum ſpectari lapidem, quando Romani Fraterno maduerunt ſangvine muri, quomodò per magnifica ſui opera in ſtupore mentes mortalium tenebat. Pantheon Deorum Domicilium, quod ingenti ſumptu Marcus ædificavit Agrippa, oculos in ſe ſpectantium rapit, Numina quæ priſca venerabatur vetuſtas, cùm vera non haberet, ficta ſeu potiùs facta hocce in Templo repoſuit. De utroq; limite Mundi Parrhaſios conduxit; Phydiam ad ſculpendum Jovem, & Minervam, Apellem ad depingendam Venerem, Polictetum ad extruendam Junonem, Lyſippum ad elaborandũ Mercurium. Pario marmore, & Siculô appre-

tiavit

tiavit metallô, ut ad ſpectandum Pantheon facilius mortalium accenderet orexim. Mitto innumera ipsô Archimedis calculô non computanda ædificia, cum unico Capitolio res mihi adeſt. Erat Capitolium Supremo Deorum Statori Jovi dedicatum Templum, quod dum attonitam Oratoris in admirationem rapit pupillam, Vos ad ſpectandum tantum opus Comites habere prætendit. Primam vix Latij Imperiorum aſpexit lucem, necdum adhuc de puerilibus evolutum Faſcijs, & jam bajulos ad deportandum quadratum pro Capitolio ſaxum ſubdit humeros. Orbis Cardines movit, Garamanthas peragravit & Indos, pretioſa ad condecorandū Feretrij Numinis Templū quærendo metalla, ingeniosos Dædalos, & ſubtiles conduxit Apelles. Hìc quid non impendit: ut magnificum ſumptuoſo faſtu erigat Fanum, æraria diſſipat, Pelion & Oſſam movet, Tarpejos attollit Montes, ut excelſè ipſum propè Cælum ſurgat opus. Et factum eſt ita: aurea ſtatuit Capitolij culmina Cæſar, pretiosô fulgentes metallô parietes erexit, ſubtilì intus & foris adumbravit penicillô, ſaxea fundamenta fecit, in Tarpejo Monte Jovis Capitolini Templum locando. Suprema Numina de Stellifero conduxit Olympo, nempe fulminantem Jovem, haſtatam Minervam, & dilectam Junonem: tantum opus, ne ſine

ne ſine triumphali mánſiſſet Rogo, Cæleſtes Capitolinis injecit ſedibus Ignes, Veſtalì circumduxit focò, ut ad has flammas clariùs Capitolij appareret Majeſtas. Vix hoc Fanum á primis Fundamentis ſtetit, illico Romuleæ Conditor Gentis, Ceninenſibûs victis, opima ſpolia Iovi Feretrio dedicat, Cæſar vexilla, arcuſq; triumphales reponit Antonius, Aurelianus, Pompejus currus eburneos conſcendunt, quibûs ad coronandũ ſuâ victricî tempora laurô vehuntur Capitolium, ut à fatorum impetu Supremi Moderatoris Olympi tutum remaneat fulmine Templum. Exclamandum hìc reſtat! cedant Romano Capitolio miracula terræ, natura hic poſuit, quidquid in Orbe fuit. Poſuit hìc natura victricia Septizonia, excelſas Pyramides, triumphales Coloſſos, dicam clariùs: hùc Decus Pergamorum traſlatum, hùc altitudo Rhodi, hùc ſubtilitas Alcinoi, hùc mira Inventrix Coſdroæ, hùc pretium Neronis congeſtum. Somniatrici fabuloſarum rerum hoc Capitolium relinquo Vetuſtati, ad verius Capitolium immortalibûs trophæîs celeberrimum Domum MARIÆ redeo Lauretanam. In hac Domo totum id concluſum adverto, quid quid ad celeberrimum in terris Capitolium Auguſtiſſimæ Cælorum requiritur Reginæ. Reſplendet hac in Domo aurea Regnatricis Ma-

jestas, Æternus Genitricis DEI resplendet Thronus, ex duodenis syderum Gemmis compositum relucet Diadema. Ædes hæ Virginei ruboris depictæ purpurissó, augustîs Fascibûs fulgent, pretiosîs gratiarum Clenodiîs ornantur, ipsîs Æthereîs Spiritibûs plenæ, & quidquid tantûm Stelliger Olympus in se continebat, hoc totum in Lauretana reposuit Domo, ut verius in terris Capitolium nosceretur. Scrutator mortalium animus intima penetrando rerum, nominum quæ suis imponuntur rebus, etiam primam devenit ad originem. Noscit bene ideo Cælum á celando dici, quòd sub Timantheis Illius umbrîs latitantia Numina sublunari Orbi apparere non permittat. Ferrerius á ferro, Torquates á torque, Pompeius à pompa, Scipio Africanus quòd Africam debellavit, potestati subegit, & in triumphum duxit, nuncupantur. Non sine ratione universæ res suum sortiuntur nomen; Probini á probitate, Maximi Romani ab eminentia honoris, Feliciani á sorte, Fulgentij à coruscanti fulgore, Aurelij ab aureo dotum qualitatumve pretio, Constantini ab immutabilitate dicuntur, apellantur. Ipsa sumptuosa intueamur opera, unde nam suum sortiantur nomen, Delium ab Ara Delij Apollinis, ab incrustato Pallados Simulacro Palladium, á trinis Charitibus Triclinium pro-

mul-

mulgatur; cur Capitolium ſuam originem á Capite ducere non debeat? Evolvo cauſam Capitolij à Capite dicti: Priſcus Tarquinius Romanorum Rex cùm cepiſſet fodere fundamenta Fani fabuloſi Iovis, Caput Toli offendit, ſtatimque admirabundus ſtetit; nomen huic Templo an à Capite invento imponere valeat? ipſe ſecum luctatur. Pantheon ne vocandum? an biſrontis Iani Delubrum? dubius hæret. Tarquinius dum anceps ſtetit, tantisper ego Oratoria ad Illum allocutione utar. Ab auro Aurelij dicti, à ſplendentibus radijs Illuſtriſſimi, etiam á Capite Capitolium vocari meretur. Perſvaſus ſibi Tarquinius, intima ſcrutando rei, Montem illum in quo cepit ædificare: Sacellum Statori Iovi, ſeu potiùs. ipſum Fanum á Capite Capitolium vocat. Sit penes Authorem fides: Lauretanæ Domus vix ingredior Penates, protinus in dubiam trahunt Oratoris mentem, quid de Nazarena ſentiat Domo. Regiam ne Solis? an Cælum in terris videt? certè ceſpitaret hìc animus; ni perſvaſus ſibi eſſet, quòd Lauretanam MARIÆ Domum Capitolium celeberrimum affirmaverit. Ita eſt: Templum veri Jovis non fabuloſi hæc Domus, Cujus originem formamq; ſi videre deſideratis, æternitatē Illius principium cernite. Nondum auricomus

Mundo ſpargebat ſua lumina Phæbus, necdum procellis exagitatus Oceanus præfixis claudebatur terminis, adhuc confuſum cunctarum rerum remanebat chaos, quando Supremus Opifex Lauretani Ideam Capitolij in Mente diſpoſuit Æterna. Ab æterno namq́, Hæc Domus in Sacrarium Supremi ordinata Numinis, ante ſæcula in perfecto ſui eſſe hoc Capitolium ſtetit. Tarpeij non requirebantur Colles, in quibus Marianum Capitolium ſua fundamenta locaret, Ipſe Altiſſimus in Lapidem ceſſit Angularem, & exceſſit montes, aliàs decrevit TRINITAS Cælo ab alto unam ex Se Perſonam Naturam aſſumpſiſſe creatam, Quæ in Nazarena habitans Domo, Caput generis extitiſſet humani; à Quo Domus Lauretana MARIÆ Capitolium in terris vocaretur celeberrimum, & aſſumpſit; hocq́; totum concluſit, dum in Lauretanis Angulis DEUS Incarnatus remanſit. Fabuloſi illius Capitolij Nepos quinti Romanorum Regis Tarquinius ſuperbus in toto poſuit fundamenta, omni ex parte perfectum erexit opus. In Lauretana MARIÆ Domo ſeu potiùs pro ſtabiliori fundamento Sacratioris Capitolij demiſſa MARIÆ humilitas ceſſit, ex profundo humilis reſponſionis FIAT MIHI, Factum grande ſæculorum opus. Non voco hùc ad menſurandam hujus Capi-

tolij

tolij magnitudinem doctos Ptolomæos, nec Schinotenicìs funibûs illud metiri intendo, ipſã humilitatem MARIÆ pro menſura altitudinis ſumo. Infinita Majeſtas Lauretanæ Domus ex immenſa humilitate MARIÆ, & quò profundiùs ſe demittit Regnatrix Ancilla, eò altiùs Lauretana Domus Angelicìs attollitur manibûs. Hìc me tantùm ſtupor rapit, Nuntius Cælo demiſſus ab alto in Marianas Ædes, ſeu potiùs Artifex è Cælo deductus ad erigendũ Capitoliũ Supremo Jovi, apposuit fundamentũ ECCE CONCIPIES: de ulteriori elaboratione Illius quæſtionem movet MARIA; QUOMODO FIET ISTUD?. Quomodò fiet iſtud: id eſt, Cæli capere non poſſunt Illum, Qui tribûs digitìs molem Univerſi tenet, quomodó inter cubitales Domus Meæ Angulos Immenſus comprehendi poterit, quomodò nullam menſuram habens Domui commenſurabitur Lauretanæ. Quomodò fiet iſtud: aliàs arctus hic angulus eſt, moles, quam erigere intendis, infinitum locum requirit. Reſpondet conciſè in forma ad quæſtionem GABRIEL MARIÆ: Spiritus Sanctus ſuperveniet in Te. Aliàs Digitus Paternæ laborabit Dexteræ, ut Sacratius Capitolium Unigenito in Angulis Domus Lauretanæ ſiſtat. Convicta terminô MARIA ad extruendum intra Penates Domus ſuæ Capitolium

DEO, libenter consentit, FIAT; & factum est: jamq; Domus Lauretana MARIÆ in Capitolium abijt non Feretrio fulminanti Jovi, sed Rubo incombusto & Igni omnia consumēti. Ad spectandum hùc evoco ingeniosos Phtesiphones, Philones, quorum aliquando memoranda opera Orbem totum in stuporem duxêre, observent sagaciorì mentis scrutiniô, quanta qualisve Sacratioris Capitolij Majestas, quis Myron operam admovit? quis Phydias marmora sculpsit? ut tam Augusta Reginæ Cælorum assurgeret Ædes. Tarquiniusne an Vespasianus pretiosos ad condecorandum Capitolium impendit sumptus? Cujus singuli parietes radiantibûs Pyropîs fulgent, omnes portæ inæstimabilibûs margaritîs distinctæ, anguli & latera Unione Hypostatico ditantur, argenteo coruscantia jubare in tectum ivêre sydera, ipsa Luminaria majora in decus & præsidium Capitolij cessêre. Ivêre in spolium duodena Zodiaci signa huic Sacratiori Capitolio Aries in prima fronte aureo coruscans vellere, illud hac in Colchide reponere exambivit. Cælestis Taurus currui alligatus pretiosa de Eridano convexit monilia. Sagittarius geminiq; Castor & Pollux triumphales arcus & sagittas hoc in Capitolio reposuêre. Ivit in sacrificium Capricornus: Aquarius, Pisces & Cancer, ut

olim

olim, huic Capitolio nunc cefsêre in obſonium. Flammiger Leo ignes accendit triumphales. Libra propendet ad ſpolia ponderanda. Verbô cuncta quæ ſtelliger Zodiacus in ſe complectitur in ornamentum MARIANÆ convenêre Domus. Non hìc finis Capitolij Lauretani, ſpectemus Virginem, non illam Tarpejam Veſtam Cæli terræq; Ipſam Reginam Domus hujus Cuſtodem, Cui auricomus pro Paludamento Titan, argentea pro tentipelijs Luna, duodecem Stellæ in Coronam Capitis Mariani ivêre. Hic eſt decor primis à fundamentis Mariani Capitolij. Longo ſæculorum tractu circa Capitolium Romanorum Opifices deſudabant, hoc unicum effecerunt, quòd labentia annorum luſtra illud ſuo luſui reliquerunt, & ſolo æquârunt. Lauretanum MARIÆ Capitolium circa Quod Increati Artificis operabatur Manus, nullis unquam ſubjectum ruinis. In illo falſo Jovi Dearumve Delubris Junoni & Minervæ trina erant dedicata Sacella, trinaq; congregata Numina, in Hoc Sanctior Ternio reſidet JOACHIMUS, ANNA & MARIA. In illo poſt debellatos hoſtes victimas & Sacrificia immolabant, ſpolia Feretrio Numini Triumphatores reddebant. In Hoc quot Reges, quot Principes, Cæſaresve, ſua appendêre vota, tot immortalia in hoc Capitolio repoſuêre trophæa.

CyrrheaDeorũ nõſollicito ſecreta nec Delos A-
pollines quæro, quibusnam in terris Sanctius
Capitolium Cæleſtes repoſuerunt Manus; an
Tarpejo in Monte vel Alpium jugis ſitum ſit,
ſciſcitatum oracula Phæbi non tendo. In Ci-
vitatem Nazareth dumOratoria gradatione pas-
ſum moveo ad Palæſtinæ Gallileæq́; colles hoc
Capitolium locatum adverto. Subſiſte hìc
ſvada, impetus Oratorios detine, tecum habita
& noris, cur ſub hoc cardine Poli Sacratius
poſitum Capitolium. Quirinum olim Capi-
tolium ad Ortum, ſui forum & Palatinum ha-
bebat Montem, Veterum monumenta teſtan-
tur. Domus Lauretana MARIÆ nunquam
expaveſcens occaſum, ad Orientem ſtationem
ſibi præfigere debuerat. Myſtica Aurora MA-
RIA in Oriente ſiſtit, ut melioris fortunæ Soles
Univerſo oriri denuntiet, & beatum terrigenis
inducere veleat mane. Narrant fabuloſa Pòë-
tarum commenta Phæbum de Thetydis reſur-
gere ſinu. Lauretana MARIA Mare gratia-
rum cum ſit, ſe ad ortum locat, ut de hoc Mari
Juſtitiæ reſurgat Titan, diem ſine fatali accenden-
do nube. Aliàs Nazareni flores Rege ſuo ca-
rebant, neceſſum erat, ut Lilium inter ſpinas
MARIA Angelicìs manibûs illo transplantare-
tur in fundo. Malè reſpondent ſilices gemmis,
niſi & ipſi uniones fiant; Apennini colles ex-
celſas

celsas requirunt Cedros, Sanctisq; nonnisi Sancta placent. Lauretana MARIÆ Domus, Quâ non est in toto Sanctior Orbe Locus, Sanctam quæsivit Terram, & stetit in illa, quæ lacte & melle fluit, ut famelicis Mortalium mentibus dulce præberet alimentum MARIA. Necte jam Nazareth ex floribus Tuis ad adventum Augustissimæ Cælorum Reginæ Coronam, submitte odoriferas herbas Marianis plantis, ut illas Fonte conspergat Signato, ne arescant. Abeas Gentilitia illius Regionis Cynthia in scabellum MARIÆ, ecce jam Pulchra ut Luna tuis resplendet in liminibus. Accende sacratiori holocausta Capitolio, dum in tuis locatur collibus. Proh dolor! obstupescite mortales, quæ insania Civium Palæstinæ! ego fine Oratoris utor persvadendo, ut ad ingressum Capitolij singuli in arcus flectantur triumphales, & illi cornutâ sui Cynthiâ proprijs de Penatibus Capitolium eradicare prætendunt. Quæ insania o Cives! cum spolijs opimis ad Hoc Capitolium tendentes suâ arietare Cynthiâ, & innocuum effundere sangvinem, quis furor!. Dij vos perdant! & iterum dico, Dij vos perdant! dum Numina non exambitis inquilina habere, dum Sacrarium Cæleste Christiadum profanatis sangvine. O nefandum scelus! appia via ad Capitolium est, ad Hoc non per detruncata

 capita

capita itur: ferrô ſtratum iter ad ignonimiam non ad triumphalem deſtinatur pompam. Duriora Marpeſiô ſaxô Machometanorum corda, dum nec effuſo Chriſtiadum ſangvine demolliri poſſunt. Pergentes in Lauretanam MARIÆ Domum in via detinent, ſpolijs quæ ad Capitolium Auguſtiſſimæ portant Reginæ, ſpoliant, ipſâ ad extremum vitâ in publica via privant. Tantum ſcelus ſpectavit MARIA, cùm ad Conclave Jllius tendentes (dicturus eram ad Capitolium) nullam ſecuritatem haberent mortales, Angelicis manibûs, per mare, per terras, per inhoſpitas Regiones nocte non ampliùs una ad littus Adriaticum transfertur in Dalmatiam. Nunquam etenim ſcelus & Majeſtas in uno posſunt ſubſiſtere loco. Jlluſtris Titan procul à craſſis tenebris diſtat, & maculas ipſo candore notabile Lilium vitat & aufugit. Roſa ſine ſpinis MARIA ſat nativo virtutum rubicunda colore, purpureo mortalium non prætendebat in Nazareth pingi cruore, & ideo alio plantari debuerat in Viridario. Non ſupponite hìc AA. quòd ideo ad Adriaticum littus ſiſtit Lauretana Domus, ut liquidô conſpergatur elementô, ne Myſtica areſcat Roſa, ut Cæleſtes ethymum à Lauro ducens Lauretana Domus marî humectata proferat fructus. Quinimò innocuum Hoc Capitolium ut illas Machometi

ſordes

ſordes, quas per irreverentiam ſui contraxit, non fonte unico tranſcendibili paſſu, aſt integrô poſſit lavare Oceanô, exambit. Puteus aquarum viventium cúm ſit, ad mare tetendit, ut haurientes mortales ex hoc Puteo gratiarum fontes, Illum coronarent; & quod idem eſt, ut Navalia Trophæa in Capitolio Auguſtiſſimæ Reginæ univerſus appenderet Orbis. Ad mare ſiſtit Lauretana Domus, monſtrans: nunquam fortunatiorem nos perveniſſe ad portum, quàm Pharo allucente MARIA. Navis eſt portans Panem de longè, in littore ſiſtit, nos ad beatam Colchidem quôd parata ſit vehere, demonſtrat MARIA. Non procul á Petra Petri ad mare locatur, ut Piſcatoris annulô pacatum mortalibus deſponſare Mundi valeat mare. Applaudite itaq; ſublimes Dalmatiæ colles veſtræ felicitati, quòd Sacratius Capitolium Italica in Regione ſtetit. Surgunt in tripudia Dalmatici Incolæ, triumphales præparant currus, quibûs ad Cæleſte in terris vehantur Capitolium. Aſt hæc gaudia triſtibus miſcentur Nænijs, Jo triumphale in lacrymabiles abit ſingultus, dum hoc de loco Marianum Capitolium migrare intendit. Quanta lætitia ad adventum Lauretanæ Domus Adriatici maris erat, tanta mæſtitia ex receſſu. Non tot Adriaticum æquor in ſe continet guttas, quot Dalmatici Incolæ

 geme-

gemebundas ab oculis lacrymas fundunt. Plorat Dalmatia, ad Cælum suspiria mittens: jam ergo perijmus Cives! dum Littus æternæ salutis à nobis removetur MARIA. Ibit contra nos mare & intumescet! dum Anchora bonæ spei avellitur MARIA. Vibrabit jam adversùs nos Supremus Jupiter trisulca fulmina, dum Sacrarium Ejus dedicatum honori, nostris de Penatibus migrat. Hoc abeunte Numine, quis Deus alter feret opem. Plorant hìc gemebundi Dalmatiani, Marianum ad inhospitam sylvam, ut intendebat Capitolium abit. Quercum Capitolino Jovi olim sacratam esse, testantur monumenta, in Sacratiori Capitolio Lauretanæ Domo, ut Supremo Tonanti frondiferæ arbores in holocaustum cedant, inter sylvas locatur. Quondam in Capitolio focus ardebat Vestalis, Hac in Domo Igne Divini amoris focus ardet, quô ut frigida mortalium accendantur corda, materiam suppeditat sylva. Dicam quod sentio, suìs Sacratius Capitolium ne careat trophæìs, in sylvam Recinetensem Angelicìs iterum transfertur manibûs, ut ex frondiferis arboribus arcus triumphales, Septizonia, & Scipiones in opima spolia sibi cessuros efformet. Sylvesceret hìc svada Marianam pedisequo Domum comitans gressu, & obmutesceret, nisi videns detruncatas arbores in Mercurios abijsse,

ore cùm non possint Lauretanum excipere Capitolium, se in venerationem inclinando prono illud salutant cultu. Hùc hùc velociorî Terrigenæ accurrite passu, & cum inclinatis arboribus, triumphorum locum Marianum adorate Capitolium. Movet gressum svada, & Lauretanam in sylvarum recessus dum comitatur Domum, in immaniores ipsîs belluîs incidit mortales. Tremit dictio, Oratoriũ acumen ad evaginatum prædonum hebetatur ferrum, effusus de corpore innocuo sangvis horrorem incutit, prostrata Cadavera exanimem Oratorem reddunt. Nimiùm veretur hac in via in qua nec hospes ab hospite tutus. Rhetoricô ne privetur apparatu, Recinetensem non audet intrare sylvam. Convolant Cælestes Spiritus in tutamen gradationi Oratoriæ, Angelicìs pennîs securum illi præscribunt iter, dum è nemeroso sylvarum recessû, in apertum collem Lauretanam transferunt Domum. Sic enim decuit, ut Capitolium Augustissimæ Cælorum Reginæ ipsis in montibus locaretur. Ex altis flumina montibus quòd decurrant, quotidiana Magistra rerum experientia testis. Lauretana MARIÆ de Domo, ut faciliùs Eridanus Cælestium deflueret gratiarum, his in Collibus sistere debuerat. Summos ne feriant ampliùs fulmina montes, Lauretana Domus à Lauro

Nomen deducens, Angelicîs in illos transfertur manibûs. Surge in altum humi reptans dictio, Marianum Capitolium excelsis in montibus sistit. Subsiliunt ad adventum MARIÆ colles, ruptîs montium fibrîs in applausum Sacratiori Capitolio edunt sonitum saxa. Cedrum exaltatam dum in se vident, meliora sui concipiunt omina. Elevatur Mercurianîs Talarîjs in Colles Oratoris animus, & dum Lauretanũ exambit intueri Capitolium, protinus coruscanti auri perstringitur fulgore, ipsos tantùm Montanorum Hæredum impetus speculatur, quos meminisse piaculum. Utor hìc gemebunda exclamatione! O auri sacra fames! itane Fraterno amori ad Templum pacis, quia Capitolium Cæleste, bifrontem aperire demandas Janum; itane Castorem cum Polluce in litigia moves; ecce hic nervos aptat sagittis, ille horrenda spicula vibrat, quid non devincis, dum nativo fædere junctos in lites moves & jurgia. Regem olim Phrygum Midam in informe transmutasti animal, aures illi applicando asininas; nunc montanos Hæredes in severiores transformas tygrides, ecce hic præ nimia tui fame nimis sævit, ille cæco impetu ductus, aliter sui cupidinem extingvere nequit, nisi solo sangvine fraterno. Rara concordia fratrum, ibi tamen nunquam videtur, ubi corusco aurum ju-

bare

bare ſplendet. Componam hìc ego lites fratrum; diſcordesq; copulabo animos, Lauretanam MARIÆ Domum illis præ oculis ponendo. Convertite hùc mentes veſtras invidi fratres, en Domus hæc refugij, ad Quam cuncti cum quærimonijs currunt mortales, ſola tot circumivit loca, nullibi fixam ſibi poteſt reperire ſtationem. Non mirum eſt: quòd barbara Machometanorum gens effuſo Chriſtiadum ſangvine illam ſua de Regione delevit; effrons Solymeorum Princeps cum ſine lege, etiam ſine pudore vivit. Non mirum: quòd ad Adriaticum littus Lauretana diu non ſubſiſtebat MARIA, Mare Cæleſtium cùm ſit gratiarum, nullam confinitatem cum terreſtri Oceano prætendebat habere. Deſeruit ſylvas Lauretana Domus, Nomen à Lauro habens, inter ſimili frondeſcentes virgas metallô, non inter ſylveſtres Faunos ſuam debuit ponere ſtationem. Capitolium hæc Domus eſt, excelſos requirit montes; ingens argumentum felicitatis, quòd in Collibus hæreditatis Veſtræ habitare prætendat MARIA. Ad mutuum Piladem & Oreſtem concito amorem, pertinaces hoc in propoſito dum adverto, unica adhuc Oratoria ratione utar. Domus hæc Auguſtiſſimæ Cælorum Reginæ Sacratius eſt Capitolium, non Quirinale; non eſt neceſſum, ut fraterno ſangvi-

ne pingatur. Demonſtrant tantùm invidi fratres per lites & jurgia ſui, Domum Lauretanam eſſe Capitolium in Illorum Collibus ſitum, & ideo mutuas in ſui viſcera, veluti alter Romulus & Remus convertunt manus. Aſt abſit auricomum indigitare Phæbum, Principem lapidum Adamantem in pretium exponere Orbi, & Lauretanam MARIÆ Domum per effuſum cruorem abſit o fratres demonſtrare eſſe Capitolium. Noſcitur ex radio meridionalis Titan, ex coruſcanti ſplendore ipſe ſibi pretium adamas, & Mariana Domus ipſa ſe Capitolium publico ſpectatori demonſtrat, dum in publica via ſiſtit. Ubiq; Coloſſo adeſt ſua magnitudo etiam & in puteo Coloſſus eſt, Dij ſub Tymantheis umbris Numina ſunt. Lauretana Domus ſive in collibus, ſive in plano ſiſtat, ubiq; Capitolium affirmanda. Confluebat olim innumera mortalium turba ad Capitolium, ſpolia Feretrio portando Jovi, Capitolinos abſolvendo ludos; ad Marianum Capitolium ut undiq; Terrigenæ currant, in publica via ſiſtit: & currunt, vota, holocauſta Auguſtiſſimæ Cælorum Reginæ accendēdo. Currunt claudi Capitolinos abſolvendo ludos, nam etiam læſa tibia pœana canit, ſua appendentes vota, & proſiliunt ſani. Adeunt cæci Tyrrheſiæ, & Illuſtriſſimîs Domus hujus Tenebrîs illuſtrantur, mortui ad Marianam

Statuam

Statuam ſiſtunt, & reſurgunt. In publica via dum jam Marianum ſubſiſtit Capitolium, ad ſpectandam Jllius Majeſtatem, ad videnda in Illo appenſa trophæa, vos publicè invito. Quondam Capitolium quadratô ſaxô exſtructum erat; Mariana in quadro poſita Domus niveo undiq; marmore decorata, quô quàm admiranda Phydiæ ſculpſêre Opera publica, Univerſo denuntiat fama. Faciem Domus Hujus ſpectare vultis, Jpsîs tántùm Jncarnationis Myſterîjs adumbrata. Mitto cætera, quæ in ſtuporem animos mortalium rapiunt, ipſa tantùm trophæa, quibûs hoc Auguſtum inclareſcit Capitolium ſpecto; illa tamen ad calculum non revoco Oratorium, quorum numerum exponere idem eſt, ac Stellas numerare in Cælo. Unum pro cunctis, tantiſper fama loquitur trophæum, olim Sereniſſimi JOANNIS Tertij Poloniarum Regis. Jvit hic Polonus Pompejus Romanorum Victorum more, qui debellatîs hoſtibûs, ſpolia ad Capitolium mittebant, Cornutam Machometanorum ſuperbo tumentem faſtu, dum JOANNES depreſſit Lunã, per detruncata hoſtium capita ad Marianum proceſſit Capitolium, dum victo Otomanico hoſte Vexillum ad Summum Pontificem INNOCENTIUM IX. in ſignum: quòd totus Polonus Orbis Lauretanam MARIÆ Domum im-

mortalibûs celeberrimum trophæîs Capitolium agnosceret, remisit. Ausonium ad Tyberim Tarpejam Arcem, in qua tot Dictatores, Consules, Cæsares victricia reposuerunt spolia, non intueor; Adriaticum littus, quod ad Capitolium Marianum tot devexit trophæa, non miror; nec Hetruriæ collibus, qui tot Regum, tot Principum, Imperatorumve appenderunt Coronas, invideo; dum in Sarmatico Campo ad Portas Craci Jllud veneror pronus. Nullibi meliùs Capitolium Marianum locari poterat, quàm ad Craciam Urbem, quæ communî vulgi vocabulô altera Roma nuncupatur. Navis hæc portans Panem sub mænibus sistere debuerat, ut famelicis Accolis copiam alimoniæ subministraret MARIA. Capitolium hæc Domus est, Cui jam tot in spolium cessêre Regna, etiam ut Trinæ Vavellani Montis Coronæ Jlli in trophæum abeant, sub Cracia locatur Urbe. Aliàs Lechicam in Cracijs Turribus nidificantem Aquilam necessum erat in hoc Capitolio non Feretrio Jovi, sed Supremo Numini fulminum egisse Ministram.

Jam tandem imbellis Oratoris gradatio alienos peragrans Soles in suo cursu cessat, jam Mercurianîs ferri per Orbem non intendit talarîjs, dum Cælestes in loco Intelligentiæ quiescunt, & Lauretana MARIÆ Domus immobi-

lis

lis manet. Siſtit in motu ſvada, dum ei Seraphicæ Pennæ non plus ultrá præſcribunt, & de Italicis Regionibus ut proprios advolet Penates, ſe ipſas ſubminiſtrant. Cedant Seraphicæ Pennæ in calamos ſvadæ, ut Vobis Sauromatæ R.R. P.P, (Quibus multum Lechicus Orbis debet) ampla foliorum ſcribat elogia, ut in Veſtras evolet laudes, quòd de exteris Nationibus Capitolium Auguſtiſſimæ Cælorum Reginæ Franciſci Fune hunc traxiſtis in Horizontem. Stricta Veſtrûm Regula ſic MARIAM obſtrinxit, ut Angulos Domus ſuæ intra Celulas Veſtras locare debuiſſet, imò Ipſa Ancilla intrà humiles Capucinos exiſtere prætendit. Locus Marianæ Domus verè Sacer eſt, nudô Veſtrûm tangi exambit calcaneô; Lauretanus Focus ne quando ardere deſinat, ad Seraphicas concurrit Alas, Quibûs in Vobis Divini Amoris excitatis ignes. Floreat ergo Veſter Sacerrimus Ordo Signato Fonte conſperſus, in Delicium Cæli, in Coronam Chriſtiani Orbis. Bellorum ictibûs, infortuniorum turbinibûs aduſq; Lechica quaſſata Ales, olim miniſtra Jovis; nunc hùc & illùc per Orbem vagabundé volitans Tuam ſub tutelam currit. Permitte Sarmaticæ Aquilæ hoſtiles ſuîs pennîs extingvere ignes, & omnes maleſanæ ſortis impetus Lechico proſcribere de Campo. Gentilitijs LIPSCIANÆ

Domus Raſtris, Quæ continuò circa Tuum laborando cultum immortalia de Polono Regno colligunt trophæa, Cælum ipſum inflecte, ut Illud Domi Suæ inquilinum habeant. Trinis Vavelli Coronis, quæ in victimam Tuo Sacratiori Capitolio cedunt, illos pretioſos inſere uniones, quos Tuum Cæleſtium gratiarum producit Mare. Montem hunc corona Lauru, ne unquam fatalia feriant Vavellum fulmina. Cracijs Turribus Domus Tuæ mænia fiant Ahæneus murus, ne infortuniorum caſus liberum aditum videantur habere. Regiam Scholam Almam Matrem Univerſitatem Cracovienſem, ſemper Tuo Nomini famulatricem, quæ pro immortalibus trophæis Sceptra, Doctorales Annulos, & eruditas in Sacratiori Capitolio appendit Laureas, ſub expanſis Gratiæ Tuæ foveas alis. Jagellonicum Manipulum copioſo conſperge fonte, ut auream ſcientiæ ex Literario Craciæ Pallados campo ſementem ſinguli legant. Devoti Clientes ſua capita Plantis Tuis ſternunt, Lauretanam Domum Capitolium immortalibûs trophæis in terris celeberrimum unà mecum affirmando.

D I X I